



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

XLI. Der Markgraf Johann von Brandenburg stiftet die Stadt
Neu-Brandenburg im Lande Stargard, am 5. Januar 1248.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

pro Apostolice Sedis et nostra reverentia in canonicum et fratrem, ei prebendam, si que in ecclesia vestra vacat ad presentem vel quam primum ad id se facultat obtulerit, liberam conferat, Non obstante, quod idem alias beneficiatus existit etc. seu statuto de certo canonicorum numero, iuramento vel confirmatione sedis apostolice, aut quacumque firmitate alia roborato. Alioquin dilectis filiis abbati et Priori in ulsem Verdenfis Diocesis nostris etc. mandatis, ut ipsi super hiis mandatum apostolicum exequantur. Contradictores etc. Datum Lugduni, XVII. Kalendas Septembris, anno quinto.

Aus einer Abschrift des Vaticanischen Archives Epist. Innoc. IV, Anno V, Epist. 109.

XLI. Der Markgraf Johann von Brandenburg stiftet die Stadt Neu-Brandenburg im Lande Stargard, am 5. Januar 1248.

In nomine sancte et individue trinitatis. Johannes, dei gratia Brandenburgensis Marchio, omnibus in perpetuum. Temporum mobilitas et humane memorie instabilitas exigit, ut ad notitiam posterorum gesta precedentium Scriptis authenticis commissa commaneant, ne per oblivionem, que inimica solet esse posteritatis, argumenta veritatis obtenebrentur, et dubia questio generetur. Proinde notum esse volumus tam presentibus, quam futuris, quod Nos Herbordo*), fidei nostro, Civitatem nostram Brandenburg novam, sub tali forma dedimus construendam, quod totius census de areis pars tertia sit ipsius, et tertius denarius in Civitate per iudicium acquisitus. Huic etenim Civitati nostre adiecimus ducentos et quinquaginta mansos, quorum ducentos in agricultura, reliquos quinquaginta in pascuis Nos recognoscimus deputasse, ita ut de quolibet illorum, qui videlicet agrorum cultui sunt assignati, trium solidorum denariorum Brandenburg. annualis nobis pensio debeatur. Expirantibus itaque quinque annis, quos ipsi Civitati, a Festo Martini nunc venturo in antea, indulgimus libertatis, eandem Civitatem eo iure, quo Civitatem nostram Brandenburg veterem, gavissam esse volumus et contentam, in parte tamen ipsius Civitatis incolis specialem gratiam facientes, quod de rebus pinguibus, videlicet de piscibus recentibus, adductis navigio, butyro, caseis, pullis, ovis, pultibus et ceteris leguminibus, lino et panno lineo, nulli omnino hominum ad danda telonea teneantur. Si vero aliquis eiusdem Civitatis Burgius pisces, halec, vel aliquas alias merces Spe profectus et peregre ipsas duxerit in Civitatem, ipsum similiter ab eo absolvimus telonio, qui foret dandus, dummodo ulterius sua vectura non deducat easdem. Si vero ad alia loca suas merces voluerit destinare, ipse sicut et ceteri deducentes, nobis exsolvet telonium, Secundum quod in veteri nostra Brandenburg est constitutum. Hospites vero, qui huiusmodi etiam merces ad ipsam duxerint Civitatem, et ad vendendum suas exposuerint merces, de quolibet plauftro quatuor tantum exsolvent denarios, quos ab ipsis indifferenter recipi volumus et dimitti. Si vero ipsas exposuerint deducendas, tunc, sicut et nostri Burgii, debi-

*) Frank und Buchholz nennen den Erbauer Alvordus, jedoch gewiß mit Unrecht wie Sponholz (Nachtrag 3. Allg. Medl. Beiseb. für 1841 S. 11. 12) dargethan.

tum exsolvent telonium, sicut et veteris Civitatis nostre Brandenburg edocet consuetudo. Insuper et in aquis adiacentibus piscandi facultatem cum rufis, magnis et minutis retibus eisdem Burgiis indulgemus. Si quid autem utilitatis et commodi in Foro eiusdem Civitatis propriis poterint construere laboribus et expensis, iisdem similiter contulimus in usus civitatis communi consilio convertendum. Volumus etiam, ut predictae civitatis Burgii in omnibus nostri domini civitatibus, Oppidis, villis sive locis, ad que cum suis accefferint mercibus, ab exactione telonii, sicut et nostrarum civitatum ceterarum, alieni sint penitus et exempti. Ut autem hec nostra collatio in perpetuum stabilis perseveret, presentem paginam conscribi fecimus, et Sigilli nostri munimine roborari. Huius rei testes sunt Fridericus de Berteko, Conradus Advocatus in Stargard, Albertus Marscalcus curie nostre, Henricus Capellanus curie nostre, et alii quam plurimi. Acta sunt hec in Spando, anno Domini MCCXLVIII. in die octava Sanctorum innocentium.

Nach Silber a. a. D. Th. II, S. 15. Frankfurt a. a. D. Bd. IV, Kap. XXV, S. 191. Das Original ist verloren.

XLII. Vergleich und Friedensschluß des Erzbischofes Albert von Preußen und Livland mit dem Deutschen Orden, vermittelt vom Markgrafen Otto von Brandenburg, am 10. Januar 1249.

Albertus, miseratione divina Archiepiscopus Pruscie et Livonie, Apostolice sedis Legatus, Uniuersis Christi fidelibus presentem litteram inspecturis salutem et benedictionem a Domino. Super diuersis questionum articulis seu iuribus seu iniuriis suborta discordia inter nos ex una parte et Magistrum domus Theutonicorum ex altera, mediantibus Venerabilibus confratribus nostris, fratre Heindenrico cholmense et fratre Ernesto Pomezaniense Ordinis predicatorum et Henrico Varmiense Episcopo, suffraganeis meis, et Nobili viro O. Marchione de Brandenburg, per pacis clementiam taliter est sopita, quod nos omnes iniurias et dampna eisdem de corde puro fratribus indulimus supradictis. Et fratres ipsi versa vice similiter hoc fecerunt, et super hoc hinc inde in pacis oscula conuenimus et nos in negotio crucis et fidei et in aliis, que paci expediunt, fratres ipsos pro posse iuuabimus, ubicunque et quandocumque videbitur oportumum. Nec aliquam questionem mouebimus eisdem coram Domino Papa aut quolibet alio iudice super iuribus et libertatibus suis, quas in terra Prucie dinoscuntur habere, secundum papalia instrumenta, nec nos ipsi contra eadem faciemus. Sepedicti autem fratres nos nullatenus in aliquo molestabunt, sed sicut conuenit et iustum fuit, honorabunt. Et ut nostrum fauorem et gratiam plenius assequantur, fide data in nostris manibus promiserunt, quod dabunt nobis aut procuratori nostro trescentas marcas argenti his temporibus in Elbiggo perfoluendas, Sexaginta videlicet ante festum purificationis beate virginis proxime venturum, quadraginta vero in festo beati Martini sequente, Ducentas vero ante festum purificationis futurum ad annum. Quodsi tunc non dederint nec plane exsoluerint, liceat nobis post solutas centum marcas instrumentum fratrum, quod pro ducentis marcis remanet, obligatum pro trescentis marcis in Pascha sequenti